



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

70. Dominica quinquagesimæ. Suadetur Paßionis D accuratior meditatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

## MEDITATIO LXX.

Dominica Quinquagesimæ.

*Suadetur Passionis accuratior meditatio.*

**V** Ideo Dominum præcedentem suos, quasi caput, unum moriturum pro omnibus, Discipulis stupentibus, & sequentibus. Petam accuratius meditari. Passionem Domini.

*Conf. 1.* Quomodo Passionem suam Dominus in septem partes distinxerit: *Consummabuntur, inquit, omnia, que scripta sunt de Filio hominis.* Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18.

1. *Tradetur enim.* Luc. 18. nimirum à Iuda proditore.

2. *Principibus Sacerdotum, & Scribis.* Matth. 20. & *Senioribus,* Marc. 10. Iudæis.

3. *Et tradent eum Gentibus.* Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18. Pilato, & ministris Romanorum.

4. *Ad illudendum.* Matth. 20. & *illudent ei.* Marc. 10. & *conspuendum.* Luc. 18.

5. *Et flagellandum.* Matth. 20. & *flagellabunt eum.* Marc. 10. Luc. 18.

6. *Et postquam flagellaverint, condemnabunt eum morte.* Marc. 10. Luc. 18.

7. *Et tradent eum crucifigendum.* Matth. 20. & *occident.* Luc. 18. & *interficiunt eum.* Marc. 10.

*Conf. 2.* Causam tam distinctæ memoriæ esse

*Dominica Quinquages.* 113

esse amorē suum infinitum, qui est ipsiusmet:  
Passio, propter cuius septenam divisionem  
denuo sequentes ei septimanas consecrabo.

*Conf* 3. Quomodo adhuc hodie in SS.  
Eucharistia Passionis suæ memoriam pera-  
gat, ut ait D. Valerianus: *Discite ergo ex hoc*  
*Deum diligere, qui se quotidie cælesti imperio*  
*Sanguinis sui effusione commendat.* Alloquar  
me, an credam, quòd illic sit D. Deus, Deo,  
per Deum oblatus, gustu infinito, infinita re-  
verentiâ, infinitæ satisfactionis, & gloriæ? An  
non sim ego, qui eum ore & pectore absu-  
mo? an non in me consumatur oblatio, qua  
non est possibilis major? ubi ergo reveren-  
tia, laus, gratiarum actio?

MEDITATIO LXXI.

*Feria 2. Dom. Quinquages.*

*Christus denno patitur.*

**V**idebo Christi D. vultum à duabus spinis  
per laicos, & nodosioribus fustibus à  
Clero, immaniter usque ad pupillarum læ-  
sionem vulneratum: quia, quantum in ijs  
est, regnantis in cælo intuitum non verentur  
dehonestare: ita vidit D. Gertr. l. 4. c. 15.  
Cum gratius sic in majori afflictione auxiliū,  
& nunquam major cordi Christi sic afflictio,  
quàm horum dierum abusus, petam modū  
impediendi afflictiones Christi.

*Conf*